

SERIES ALPHABETICA huius
VOLUMINIS.

A
De Actionum cessione. pag. 952.
in successoris universales. 972.
necessaria. 986.
Alienatione. 686.
A. R. P. q. l. G. 123.
Assurance. 668. b.

C
De Cambijs. 674.
Codicillis. 392.
Collatione. 271.
Comodato. 538.
Conductione. 612.
Conditionibus. 344.
Conubijs iure. 69. 75.
Constitutionibus P. P. 45.
Contradijs innominatis. 650.
Cessione actionu. 952. 972.
Civitatjs mutuo. 986. 500.

D
De Decretis. 45.
Delegatione. 910.
Deposito. 550.
Denunciatioe litis. 636.
Divisionibus iuris. 1.
Dominio. 123.

E
De Errore. pag. 778.
Evidentijs. 626.
Excussiois Except. 924.

F
De Fidei. 704.

I
De Institutione Heredu. 309.
Inventario. 412.
Integri restitutioe. 808.
iuris divisionibus. 1.
iure conubijs. 75.
restitutiois. 428.
retentionis. 884.
innominatis q. libijs. 650.

L
De Legitimatione. 83.
Legitima. 237.
Locatione. 612.
Legibus. 17.
Litis denunciatioe. 636.

M
De Matera tutela. 98.
Metus restitutioe. 632.
Monopolijs. 592.
Mutuo civitatis. 500.
Novatione. 896.
Optione. 381.

12
195.
DISPUTATIO JURIDICA
De
SERVITVTIBVS
PRÆDIORUM,

Quam

DEO TER OPT. MAX.
feliciter annuente,

Consensu & Autoritate Nobilissimi & Am-
plissimi Ictorum Ordinis in celeberrimâ & flo-
rentissimâ UNIVERSITATE
ALTDORFINA,

PRÆSIDE,

JOACHIMO ÖLHAFIO
Dantisco - Borusso,

Exercitij gratiâ

Ventilandam exhibet
HIERONYMUS DANIEL WEIS
Curio - Variscus.

Mense Julio

ANNO M. DC. XXIX.

ALTDORFINORICORUM
E Typographia Balthasaris Scherffij,
Universitatis Typographi.

V I R O

Reverendâ Dignitate, Pietate ac

Doctrinâ Insignè Spectabili

DN. CHRISTOPH. SCHLEUPNE-
RO SS. Theol. D. dignissimo, cum generali
tum speciali Superattendenti Marchionatus Bran-
denburgici superioris vigi-
lantissimo.

U T E T

Nobilissimo, Consultissimo, ac multijugè Prestantissimo

V I R O

DN. HIERONYMO RAUCHBARN
Jcto ut Excellentissimo ita Celeberrimo,
Dicasterii quod est Onoltzbachi Assessori
meritissimo.

I T E M V I R I S

Prestantissimis, Spectatissimis, & variarum rerum

vario usu exactè Prudentibus

DN. JOHANNI PAULO WEIS

DN. JOHANNI ADAMO WEIS

Quorum prior Republ. Liberæ Suinfurtensis

Alter Illustrissimi Principis Brandenburgici apud

Byruthinos à Rationibus constitutus,

Mecenatibus, Patronis, Fautoribus affinibus & agnatis suis, de-

niq; parenti suo sincero cordis affectu prosequendo, æviterne

colendis, suspiciendis amandis

Juris hæc Primitias in sui suorumq; studiorum com-

mendationem humilimè

Offert & Dedicat

HIERONYMUS DANIEL WEIS Resp.



ΣΥΝ ΘΕΩ.

DISPUTATIO

De

SERVITUTIBUS PRÆ-
DIORUM.

THESIS I.



Servitutis vox ambigua est, & ho-
minibus propriè tribuitur, qui quo magis
in potestate dominorum sunt, eò magis ser-
vi: contra fundi quò magis in jure domini,
eò magis liberi. Res autem, ut fundi, ædes liberæ di-
cuntur *l. qui uti 90. d. V. S. l. traditio 20. §. 1. d. A. R. D.*
l. si quis ædes 30, pr. d. S. P. U. per abusionem aut certè per
translationem, in quibus dominus facere potest quid-
libet jure domini: Servæ verò & servire, *d. l. qui uti 90.*
d. V. S. in quibus nequit. Donel. lib. 9. Comm. c. 21. Add.
Vult. ad pr. J. d. Serv. rust. & urb. præd. n. 1.

II.

Servitus impræsentiarum de rebus accepta, & à
serviando sic dicta, definitur Jus in re aliena ad usum
alterius alicujus prædij vel personæ constitutum. Estq;
vel Realis vel Personalis. *l. 1. d. Servit. l. si mihi 20. §. ult.*
d. S. P. R. si quis unas 32. d. usufr. l. Gajus 12. d. ann. legat.

A 2

Realis



III.

Realis Servitus est, quam prædium prædio debet. Personalis, quam res personæ debet, ut sunt ususfructus, usus & habitatio. *Myns. & Schneid. ad pr. J. d. Usufr. D. Wegner. Disp. ad Inst. 5. th. 5. lit. D.* Nulla autem merè, ut vocant, personalis servitus est, quâ nim. homo servit homini: vel talis, qua persona rei servit. *Donell. lib. 9. c. ult. Duar. ad tit. d. Servit. Arum. Ex 5. th. 2. Forst. Disp. 7. q. 2. Fomann. Disp. 10. th. 3. lit. N. Hænon. Disp. ad Inst. 5. th. 1.*

IV.

Realis Servitus, de quâ solâ nunc agemus, vicissim est vel urbana, vel rustica: *l. 1. d. Servit. l. 1. comm. præd. t. J. d. Servit. rust. & urb. præd.* Sicut prædia, quibus ea debetur (in quibus tamen vicinitas præcisè necessaria non est, *l. si prius 17. §. ult. d. aq. & aq. plu. arcend. l. si quis 6. in pr. l. in tradendis. 7. §. 1. comm. præd. Bart. Capolla d. Serv. urb. præd. c. 18. Donel. lib. 11. Comm. c. 2. ibiq. Hillig. lit. A.*) vel urbana sunt, vel rustica. *l. 1. comm. præd. §. ideò. 3. J. d. Ser. Rust. & urb. præd.*

V.

Prædia urbana sunt, quæ ad habitandum præcipuè sunt ædificata, non solum in oppidis sed etiam in villis. *§. 1. J. d. Serv. rust. & urb. præd. Wes. in w. d. S. U. P. n. 2.* Rustica, quæ fructuum reponendorum gratiâ, sive in urbe sive extra eam structa sunt. arg. *l. 1. comm. præd.* Prædia enim à se invicem non loco, sed materiâ, hoc est, usu & fine distinguuntur. *l. si prædium 16. C. d. præd. & aliis reb. min. l. urbana 198. d. V. S. ibiq. Gædd. Arum. Ex 5. th. 3. Foman. Disp. 10. th. 4. lit. D. Hænon. Disp. 5. th. 3.*

Servi-

V I.

Servitutes igitur urbanorum prædiorum sunt, quæ prædiis urbanis debentur. §. 1. J. d. Servit. rust. & urb. præd. Easq; distinguit utilitas, quæ triplex est: Quædam enim comparatæ sunt dilatandarum ædium nostrarum causâ, ita ut dilatatio provehatur in alienum: Quædam commoditatum interiorum domus vel habendarum, vel retinendarum causa adversus vicinum, qui sine servitute eas commoditates in suo impedire potuerit. Quædam ædium nostratum exonerandarum causâ ita ut onera rejiciantur in alienum. Donell. lib. 11. Com. c. 4.

V I I.

Dilatandarum ædium causâ comparatæ sunt, quibus id agitur, ut tignum ex pariete nostro emittatur supra alienum solum, aut locum: ut deinde emisso aliquid imponamus, velut ædificium, pergulam, deambulacrum, aut ex eo aliquid suspendamus. Hujus generis sunt: I. Jus TIGNI IMMITTENDI, quo licet tignum in alienum parietem immittere. §. prædiorum 1. J. d. Serv. rust. & urb. præd. l. servitutes 20. d. Serv. præd. urb. Barthol. Cæpoll. d. Servit. urb. præd. cap. 30. Treut. vol. 1. Disp. 17. th. 2. lit. D. Tigni autem appellatione continetur omnis materia, ex quâ ædificium constat. l. tigni 62. d. V. S. §. cum in suo 30. J. d. R. D.

V I I I.

II. Jus PROJICIENDI, quo licet nobis ex nostro aliquid projicere in ædes vicini. l. 2. d. S. P. U. Est autem projicere tignum, emittere quidem è pariete nostro itidem ut illud, quod immittitur; sed ita emittere, ut provehatur tantum supra alienum, nusquam



in alieno requiescat, sed tantum in pariete nostro unde
exiit, qualia sunt mœniana & suggrundæ. *l. malum 242.*
d. V. S. Capoll. d. Servit. urb. præd. c. 31. Donell. lib. 11. c. 4.
Wes. in æ. d. S. P. U. n. 8.

IX.

III. JUS PROTEGENDI, quo licet tectum suum
suprà alterius arcam extendere, ad protegendas ab in-
juriâ pluvix ædes, vel ad prohibendum nimium solem
à luminibus nostris. *Wes. d. n. 8. Donell. d. c. 4. Capoll. d.*
serv. urb. præd. c. 32.

X.

IV. JUS ONERIS FERENDI, quo columna aut
paries onus alienarum ædium ferre tenetur. *§. prædio-*
rum. 1. J. d. servit. rust. & urb. præd. Et distat à servitute
igni immittendi, quod in hac servitute id amplius agi-
tur, ut paries vicini oneri ferendo perpetuò habeatur.
Quo continetur, ut & vicinus ita eum habere, eoq; & si
paries corruerit, aut ruinam minetur, restituere eum,
& reficere debeat ad eum modum qui servitute impo-
sitâ comprehensus est. *Capoll. c. 37. & c. 58. Donell. d.*
lib. 11. c. 4.

XI.

Servitutes, quæ comparatæ sunt commoditatum
interiorum domus vel habendarum, vel si jam haben-
tur retinendarum causâ adversus eum, qui eas alioqui
impedire potuerit, sunt **I. JUS ALTIUS NON TOL-**
TENDI, quo vicinus ædes suas altius tollere prohibe-
tur. *§. prædiorum 1. J. d. serv. rust. & urb. præd. l. 2. d. S. P. U.*
Capoll. d. serv. urb. præd. c. 27. Wes. in æ. d. S. P. U. n. 3.

XII.

II. JUS NE LUMINIBUS OFFICIATUR, quo
non

non modò altiùs ædificare, ut luminibus officiat, vicinus non potest, sed nec ullum quidem aliud impedimentum inferre. *l. inter servitudes 15. d. S. P. U.* adeò ut vel arborem ponere, quæ luminibus obsit, vel umbram ei loco, cui sol est necessarius, facere prohibeatur. *l. si arborem 17. d. S. P. U. Wesemb. in x. d. S. P. U. n. 4. Duar. lib. 1. Diss. c. 33. Hottom. lib. 2. amicab. respons. c. 4. Amplifs. & Consultifs., D. ERASMUS UNGEPUR Jctus & Antecessor Universitatis hujus Clarifs. &c. Doctor & Promotor meus omni honoris & observantiæ cultu ætatè colendus Exerc. Just. 6. q. 6.*

XIII.

III. JUS LUMINUM, quo nobis lumen seu fenestras, quibus lumen cœli hauritur, in vicini parietem immittere conceditur. *l. luminum 4. d. S. P. U. Cæpoll. d. Servit. urb. præd. c. 35. Trent. Vol. 1. D. 17. th. 3. lit. A.* Sed hîc quæritur, an liceat servitute etiam non constitutâ, in proprio pariete fenestram habere in vicini aream eo invito? Quod affirmat. per *l. sicut 8. §. Aristo. 5. si servit. vind. facit l. cum eo 9. d. S. P. U. Hottom. lib. 2. amicab. respons. c. 31. Donel. lib. 11. Com. c. 5. §. ibi Hillig. lit. E. & F. Francis. Connan. lib. 4. Comm. c. 10. Bach. ad Trent. d. Diss. 17. th. 3. lit. A. D. D. Ungep. d. Ex. 6. q. 7.*

XIV.

IV. PROSPECTUS Servitus, quæ duplex est; Prospiciendi, quæ est servitus prospiciendi & spectandi in prædium vicini, & Ne prospectui officiat, quæ est servitus, nequid ad prospectum gratiorem minuendum & quaqua versus liberum fiat. *l. inter servitudes 15. d. S. P. U. Cæpoll. c. 33. §. 34. Vult. lib. 1. Jurisp. Rom. c. 63.*

v. Jus

XV.

V. **JUS ALTIUS TOLLENDI** sive ædificandi in altitudinem, quousq; libuerit. Quamvis enim naturaliter in solo suo cuiuslibet jus sit, in infinitum vel ad cœlum usq; ut ajunt, ædificandi. *l. cujus 24. d. S. P. U.* tamen quia legis pacto, aut consuetudine libertas hæc imminui aut tolli potest, hujus etiam constitutionis aliquando usum esse relinquitur. Cui namq; vicinus permittit præterusitatum ædificandi morem, prioremq; ædium formam altius tollere, is servitutem altius tollendi habere dicitur. *l. 2. d. S. P. U. n. 3. Coras. lib. 3. nsiscell. c. 24. Donel. lib. 11. Comm. c. 5. & ibi Hillig. lit. N. Pac. cent. 3. q. 56. Bronch. cent. 1. aff. 99.*

XVI.

VI. **JUS STILLICIDII NON AVERTENDI**, quo prohibetur vicinus stillicidium ædium suarum in nostras ædes avertere. *Cæpoll. c. 29. Donel. d. lib. 11. c. 5.*

XVII.

Servitutes, quæ comparatæ sunt ædium nostrarum exonerandarum causâ, sunt **JUS CLOACÆ IMMITTENTÆ**. *l. jus cloacæ. 7. d. servit.* **JUS FUMI IMMITTENDI**. *l. sicut 8. §. Aristo. 5. si servit. vind.* **JUS AVERTENDI** stillicidia & flumina nostra in ædes aut aream vicini, seu ut vicinus stillicidium nostrum aut flumen recipiat in ædes suas vel in aream. *l. 2. de. S. P. U. §. prædiorum 1. §. d. servit. rust. & urb. præd. Donel. d. lib. 11. Com. c. 5.* Et hæc sunt servitutes urbanorum prædiorum.

XVIII.

Servitutes Rusticorum Prædiorum sunt, quæ prædiis

199.

diis rusticis debentur ; & in tria genera itidem distinguuntur : Quædam enim ad fundum nostrum accedendi causâ comparatæ sunt : Quædam ex alieno quid sumendi, quod deinde ad usum fundi nostri transferatur : Quædam exonerandi fundi gratiâ. Accessus causâ sunt I. ITER, quod est jus eundi ambulandi hominis ; non etiam jumentum agendi vel vehiculum, *l. 1. d. S. P. R. pr. I. d. S. R. & U. P. Donel. lib. 11. Com. c. 6.*

XIX.

II. ACTUS, qui est jus agendi jumentum vel vehiculum. Qui autem actum habet, & iter habet, eoq; uti potest etiam sine jumento : cum quia nemo agere potest, nisi simul ear. *arg. l. 2. d. Jurisdic. tùm quia in majori, id quod minus est, includitur, l. non debet 21. d. R. I.* Per iter verò, quod actus in se continet, intelligitur ipsum jus itineris, *Marc. Lycklam. à Nyeholt. lib. 3. membr. Eclog. 12. D. D. Ungep. d. Ex. 6. q. 5.*

XX.

III. VIA, quæ est jus eundi, & agendi & ambulandi hominis. Nam iter & actum via in se continet, *l. 1. d. S. P. R. pr. I. d. Ser. R. & U. P. ubi pro voce : Eundi, non rectè legi à quibusdam putamus vehundi, cum Anton. Fabr. lib. 1. conject. c. 20. Gasp. Schifordegh. lib. 2. tract. 20. q. 6. Bronch. cent. 2. ass. 8. Treutl. Vol. 1. D. 17. th. 4. lit. C.*

XXI.

IV. AQUEDUCTUS, qui est jus aquam ducendi per fundum alienum, *l. 1. d. S. P. R. pr. I. d. S. R. & U. P.* quod fistulis, id est, canalibus *l. si fistula 18. d. S. P. U. vel rivo fieri solet, l. refectionis 11. §. 1. comm. prad. Capol. d. Servit. Rust. prad. c. 4.*

B Servi-

XXII.
Servitutes, quæ ex alieno quid sumendi jushabent, quod ad usum prædii nostri conferatur, sunt Aquæ-haustus, *l. 1. §. 1. d. S. P. R.* jus pedamenta sumendi, *l. item 3. §. 1. d. t. cretæ eximendæ, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, lapidis eximendi, l. 1. §. 1. l. ergò 5. l. veluti. 6. §. 1. d. S. P. R. §. inter 2. l. d. serv. R. & U. P.* jus pascendi, *l. item 3. pr. d. t. pecoris ad aquam appulsus, l. 1. §. 1. l. pecoris 4. d. t. uvas premendi, l. Mela 14. §. ult. d. alim. vel cib. legat. Donel. lib. 11. Com. c. 7.*

XXIII.
Servitutes prædiorum rusticorum exonerandi fundi nostri causâ sunt, ut aquam, qua in fundo est, sulco aperto in vicini fundum ducere liceat, *l. is qui 29. d. S. P. R.* ut fructus fundi nostri in vicini villâ cogantur, coactiq; habeantur, *l. item 3. §. 1. d. S. P. R.* ut mihi cujus lapi dicinæ fundo vicini imminet, jus sit terram, rudus, saxa jacere, ibiq; posita habere: & ut lapides in vicinum fundum provolvantur, ibiq; positi habeantur, indeq; exportentur, *d. l. item 3. §. 2. Donell. d. c. 8.* Et hæ etiam sunt servitutes rusticorum prædiorum.

XXIV.
Sed hic sciendum est, ita superiora jura esse prædiorum servitutes, nisi id actum sit, ut personæ tantum tribuerentur. Quod si actum erit, etiam si omnia naturâ rei ad servitutem prædii concurrant, personæ tamen servitutes erunt, non prædii: eoq; ad alias personas non transibit servitus, *l. pecoris 4. d. S. P. R. Donell. d. lib. 11. cap. 8.*

Consti-

XXV.

Constituitur servitus prædii in alieno vel Naturâ, vel externo facto. Quæ naturâ constituitur ea est, quam inferior fundus semper debet superiori, ut natura profluentem aquam excipiat, statu fundorum ita comparato, ut hoc incommodum naturaliter patiatur inferior à superiore, l. 1. §. pen & ult. d. aq. & aq. pluvi. arc. Donell. lib. 11. Com. c. 9.

XXVI.

Externo facto constituitur servitus partim facto alieno, partim nostro. Alieno facto vel à Judice, si nimis in iudicio familiæ erciscunde, aut communi dividundo servitutum imposuerit, l. item Labeo 22. §. sed etiam 3. famil. ercisc. l. ut fundus 18. comm. divid. vel à privato, in quo requiritur, ut sit prædii Dominus l. si quis duas 6. l. si cum 8. comm. præd. eiq; constituat, qui prædium habet, l. 1. d. t.

XXVII.

Constituitur autem servitus vel TESTAMENTO, §. ult. I. d. S. R. & U. P. l. potest 16. comm. præd. l. via 3. d. servit. junct. l. omnium 3. d. us. fruct. Et hoc casu traditione vel patientiâ opus non est, sed statim à morte testatoris ipso jure etiam ignorantibus acquiritur. l. si partem 19. §. 1. inf. quem. servit. amit. junct. l. legatum 80. d. legat. 2. & l. à Titio 64. d. furt. Donel. d. lib. 11. c. 10.

XXVIII.

Vel PACTIONIBUS, contractibus scil. in continenti adjectis, Hillig. ad Donel. d. c. 10. lit. B. & STIPULATIONIBUS, §. ult. J. d. S. R. & U. P. Verum hisce duobus modis servitutes non aliter constituuntur, quam si traditio accedat, quæ fit vel determinatione

B 2

loci,



loci, per quem sit servitus, vel patientiã fruendæ servi-
tutis. *l. omnium. 3. pr. d. usufr. l. 1. §. fin. d. S. P. R. l. si ego 11.*
§. 1. d. pub. in rem act. Clarifs. D. Wilhelm. Ludwell Præ-
ceptor meus Observand. Disput. ad Inst. 5. th. 7. lit. D.

XXIX.

Facto nostro constituitur Servitus PRÆSCRIPTI-
O N E. Nam quamvis servitutes tanquam res interpo-
rales nec possideri propriè, *l. possideri 3. in pr. d. acquir. vel*
am. poss. l. sequitur 4. §. si viam 27. d. usurp. & usuc. l. si ades
32. §. 1. d. S. P. U. nec usucapi possint, l. usucapionem 9. d.
usurp. & usuc. l. servus 43. §. 1. d. A. R. D. l. servitutes 14. in
pr. d. servit. l. justo 44. §. non mutat. 5. d. usurp. & usuc. lon-
go tamen usu & quasi possessione acquiri, & quasi usu-
capi possunt, l. si quis diuturno 10. in pr. si servit. vind. l. 1. l.
2. l. sicut usumfructum 13. C. d. servit. & aq. Donell. lib. 11.
c. 11,

XXX.

Titulus autem in hac Servitutum præscriptione
necessarius non est, si adsit Domini scientia & patien-
tia, *l. 2. C. d. servit. & aq.* Quod si illa non adfuerit, titu-
lo omnino opus est, *l. fin. C. d. præscr. longi temp. Donell.*
lib. 11. Comm. c. 11. ibiq; Hillig. lit. B. Fach. lib. 8. Contro. c. 32.
Bronch. cent. 1. aß. 93. & cent. 2. aß. 7. Bach. ad Treut. Vol.
1. Diss. 17. th. 9. lit. B. Andr. Gerhard. Ex. Justin. Decad. 5 q. 4.

XXXI.

Servitutis ita constitutæ jus partim ad prædia, partim
ad personas Dominorum pertinet: Ad prædia primùm
ita pertinet, ut sive prædium id spectemus, quod servi-
tutem præstat, sive id cujus causa servitus constituitur,
utrobiq; propriè non aliorum sit servitus, quam præ-
diorum

201.

diorum. Hinc prædium ipsum servire dicitur, *l. cum fundus 12. comm. prad. l. certo 13. §. 1. l. via 23. §. si fundus 2. l. si mihi 21. d. S. P. R.* & prædio deberi, ac jus prædii non personæ esse *d. l. certo 13. d. l. via 13. §. si fundus 2.*

XXXII.

Servitus tamen ad utrumq; prædium ita pertinet, ut in prædio dominante servitus eidem constituta, omnibus partibus debeat, & omnes sequatur, si particulatim venierit, *l. si via 23. §. ult. l. si partem 25. d. S. P. R.* In prædio autem serviente, si certus locus demonstratus, hinc solum consistit servitus, ceteræ partes liberæ sunt, *l. certo 13. §. 1. d. S. P. R.* Sin generaliter servitus constituta est refert utrum nominatim ita constituta sit, an simpliciter. Sin nominatim, ut fundus serviret totus, hinc ex conventionem serviet totus, servitute ita diffusâ, ut omnes glebæ serviant: Sin simpliciter, ad electionem quidem ejus partis, per quam servitus dirigenda sit, omnes partes fundi serviunt, nisi si quas excipi æquitas suadeat: ad usum autem servitutis nunquam amplius servit, quam pars una & ea certa, ut tradit *Donell. d. lib. 11. Comm. c. 13.*

XXXIII.

Servitutis jus quod personæ tribuitur, est in ejus usu, qui etiam servitutis est unicus fructus & commodum. Hic usus versatur in duab. rebus: 1. Principaliter in servitute ipsâ: in quâ tantum juris est Domino, quantum servitutis constitutio concedit. Unde si quid generaliter cautum tributumve sit constitutione servitutis, ut est vis orationis generalis, ita omni speciei ejus generis tributum accipi debet. *l. si servitus. 23. d. S. P. U.*

B 3

2. Ex-

XXXIV.

2. Extra servitutem tacitè jura quædam accedunt, dum ad servitutis usum pertinent. Quicquid enim est, sine quo servitute constitutâ rectè uti non possimus, aut ipse usus sit inutilis, id omne tacitè sequitur, & unâ cum servitute concessum videtur. Hujus generis res in servitute sunt tres: Nova servitus ad usum & utilitatem constitutæ necessaria: resectio loci ad servitutem destinati: & locorum vicinorum ad hanc ipsam resectionem necessariorum usus. *Donel. d. lib. 11. c. 14. Trent. Vol. 1. Disp. 17. th. 11.*

XXXV.

Actiones de his servitutibus proditæ sunt duæ: Confessoria & Negatoria. Confessoria competit ei, qui servitutem sibi competere, id est, suam esse intendit. *l. 2. §. 1. si servit. vind. adversus omnem, qui nos servitute prohibet. l. loci 4. §. si quis. 5. l. si eo loco 9. l. si quis diuturno 10. §. ult. si servit vind. sive servitutis controversiam, faciat, sive non faciat, ad servitutis constitutæ declarationem, & ejusdem restitutionem. Donell. d. lib. 11. c. 15. Wes. in ω . si servit. vind. n. 1. §. 3.*

XXXVI.

Negatoria competit ei, qui prædium suum servitutem debere negat, seu qui prædium suum intendit esse liberum, *l. loci 4. §. competit 7. si servit. vind. adversus omnem, qui libertatem prædii inquietando velut decinet, l. sicut 8. §. Aristo 5. §. 4. ll. seqq. l. si quando 17. pr. §. ult. si serv. vind. ut prædium declaretur liberum, & restitua- tur libertas, Don. d. lib. 11. Com. c. 16. Wes. in ω . d. t. si servit. vind. n. 1. §. 3.*

XXXVII.

Amittuntur servitutes I. CONFUSIONE, cum idem
utriusq;

202.

utriusq; prædii & dominantis & servientis Dominus esse coeperit, *l. 1. quem servit. amit.* Sic tamen prædiis duobus in eandem personam conjunctis confunditur servitus, si prædio serviente quæsito ei, cui servitus debebatur, servitus per unum prædium debita fuerit, & id prædium totum illi sit quæsitum, *Wesemb. in w. ff. Quem servit. amit. n. 2.*

XXXVIII.

II. REMISSIONE, ut quisq; cui servitus deberur, hanc domino prædii servientis voluntate remisit, *Donell. lib. 11. c. 17. Treutl. vol. 1. Disp. 17. §. 16. lit. B.*

XXXIX.

III. INVERMISSO servitutis U s u, *Wes. in w. quem servit. am. n. 6.* quo requiritur, *primùm*, ut nemo constitutâ servitute sit usus, id est, neq; is, cui servitus debetur, neq; is, qui sit in possessione prædii dominantis, *l. usu 20. quemadm. servit. amit. Secundo.* ut nemo usus sit per statutum integrum tempus, *l. hac autem 6. d. S. P. U. l. si sic constituta 7. quem serv. amit.*

XL.

Præter hæc duo *tertium* etiam accedere oportet in servitutib⁹ urbanis, quo ex hac causâ pereant, ut scilicet qui servitutum debet, per idem statutum tempus, quo adversarius servitute usus non est, simul libertatem ædium suarum usucapiat, *l. hac autem 6. d. S. P. U.* nam & hæc usucapio ipso jure recepta est, quæ libertatem præstat sublatâ servitute: non illa, quæ servitutum constituit, *l. sequitur 4. §. ult. d. usurp. & usuc. Don. d. lib. 11. c. 18.*

Et tantum de Servitutibus Prædiorum.

SOLI DEO GLORIA.

COROL



COROLLARIA.

I.

An Dominus prædii fervientis possit loca illa, in quibus debet alteri servitutem pacendi, mutare & reducere ad culturam invito domino prædii dominantis? N.

II.

An Vasallus possit prædio feudali servitutem imponere? A.

F I N I S.


00 A 6343

ULB Halle 3
002 928 566



1. Rubre ✓ VD 17







195.

JURIDICA
TIBVS
RUM,
P T. MAX.
ente,
Nobilissimi & Am-
celeberrimâ & flo-
RSITATE
INA,
E,
ÖLHAFIO
oruffo,
ratiâ
chibet
ANIEL WEIS
fcus'.
Julio
C. XXIX.
RICORUM
nazaris Scherffij,
pographi.